

XIV. fol. 204. *Sanctus honorius christianus ad solitarium quendam de Imagine mundi.* Extat istud Opus in *Bibl. PP. Lugd. T. XX.* Exemplar praefens ultra *Librum II.* non progreditur, ceterum omnia continet, quae ad aliud hoc *Vol.* exhibitum Exemplar notavimus, ut *Index* docet. Quantum *Editio Lugd.* e nostris emendari queat, vel in limine disce. Malis enim *septenis rivis inundato prae mundato*, mox et *positionem orbis prae Expositionem*, tum *scrutanti in scientiæ profundo prae in scientia profundo*, item *utriusque hominis salute prae utique hominis salute &c.*

XV. fol. 220. *Incipit alia explanatio de compoto (computo) non tamen honorij.* Difficile est in magno ejusmodi Theoriarum chronologicarum numero adsignare autorem. Praefens init: *Omnis ratio Compoti secundum cursum duorum planetarum. videlicet solis et lunae inuenta est ab antiquis &c.* Cum *Articulo De horis quibus conficitur annus* finitum putem *Tractatum*; aliena enim sunt, quae sequuntur *De Numero*, *De signo Crucis*, *De Salomone*, nempe poenitente, quin et futilia, v. g. *Tres dies sunt & noctes. in quibus uirilis si fuerit genitus. sine dubio corpus eius integrum manet usque in diem iudicij. hoc est. in VI. kal. febr. et in tercio idus aug. et in tercio kal. febr.* Atque in hoc abrumptur clarissimus Codex, quem in *Germania* scriptum inter alia etiam suadet, quod in *Articulo*

De Numero habetur: *Due lege faciunt rastam.*

CCXCVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2283
XIV. Folior. 259. f. per duas columnas luculente et nitide exaratus, rubricis et literis initiorum picturatis distinctus, olimque *Monasterij S. dorothee in vienna* complectitur *D. Hieronymi Libros XVIII. Commentariorum in Isaiam Prophetam.* Praeit Praefatio e *Divina* ejus *Bibliotheca*, ubi *Versio* ni *Prophetæ* praefixa est, huc translata: *Nemo cum prophetas uiderit uersibus esse descriptos &c.* Dein: *In christi nomine incipiunt explanacionum libri in esaiam prophetam.* A *Prologo* videlicet ad *Eustochium*, cuius initium: *Expletis uix longo tempore in XII. prophetas &c.* In hoc *Prologo* certe rectius legitur: *qui legis litteras nosse se iactant*, quam *Regis litteras*, quod habet *Vallarsii* *Editio T. IV. col. 4.* quam contuli. Fortasse fuerit etiam melius, quod paullo infra occurrit, *cum in datione sit spiritus, qui loquitur*, quam *in ditione*; neque enim *datio* vocabulum *Veteribus* ignotum. Denique habetur *maiorum omnium ingenia pro maiorum nostrorum.* Non defunt tamen, in quibus *Librarius noster peccavit.* Ad calcem *Operis* accessit elegans *Tabula picturata*, in qua capitatim *Argumenta Prophetæ*, et ut plurimum *ratio Expositoris* notatur. Unde ad *Dorotheanos Canonicos* peruenit

nerit Codex, liquet e clausula miniata: *Iste liber est emptus ad expensas magistri Cholomanni In probstorf*, cujus abrador non aliud conatus sui pretium tulit, quam ut curiosi lectoris in indagandis literarum vestigiis patientiam exerceret.

CCXCVIII.

R. 2279 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 122. f. per duas columnas luculente scriptus, rubricis distinctus, et quondam *Monasterij Sancte Dorothee in wienna*, quod Collegium Canonicor. Reg. S. Aug. fuit, continet *Explanationem S. Hieronymi in Jeremiam Prophetam*. Initium Prologi est: *Post explanationem duodecim prophetarum esaye. danielis. et ezechibelis &c.* Sequuntur omnes VI. Libri cum suis ad *Eusebium Praeloquiis*, ut Edit. *Vallars. T. IV. col. 833.* textu Prophetae literis majusculis exarato, correctione tamen multum infra Edita.

II. fol. 90. p. 2. continuo *Expositio beati Jeronimi in lamentationes Jeremie*. Libris III. quorum I. de primo et secundo *Alphabeto*, II. de tertio *Alphabeto*, III. de quarto *Alphabeto*, quibus accedit *Oratio Jeremie* et demum *Clausula miniata: Explicit liber commentariorum beati Jeronimi in ieremiam*. Serione haec? Certe; si *Longii Bibliothecam sacram* audis, quae T. II. *Paris. 1723. p. 1122.* inter *Scriptores in Threnos* refert *Hieronymum*, et p. 776. dum *Editionem Martianaeam* recenset,

Tomo III. adsignat Commentarios in quinque Prophetas Majores et in Threnos Hieremiae. At enim frustra tu Tomum illum adieris. Nullus in *Lamentationes* scripsit *Hieronymus*, qui curis, valetudine, senio praepeditus ne de ipsa quidem Prophetia plus ad nos transmissit, quam XXXII. priorum *Capitum Explanationem*. Quo igitur nostram referemus? Ne te teneam, sume in manus *Tomum IV. Opp. Hrabani Mauri edit. Colon. 1626. f.* eamque reperies *Commentariorum ejus in Hieremiam* postremos III. *Libros XVIII. XIX. et XX.* a pag. 136. constituentem. Licet vero imposturam suspicari. Initium Praefationis in *Editis B. Hieronymi* meminit. Multis igitur lineis omissis *Librarius* noster ibi demum orfus est: *Habes in lamentacionibus ieremie quatuor alphabeta &c.* Ita et sub finem in iis verbis stitit: *In qua uniuersitate nimirum et ipsi iudei comprehendantur; ratus fortasse multa illa, quae in Editis sequuntur, recentiora Hrabani tempora nimium redolere.*

CCXCIX.

R. 2277 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 258. f. maj. paene quadro per duas columnas luculente, pulcreque exaratus, coloribus illustratus, et quondam, ut praescribitur, *Monasterij Sancte dorothee vienne*, titulum habet: *Incipit expositio sancti Jeronimi presbiteri in ezechielem prophetam*. Praeit Prologus ad *Eustochium*